

Rotulus pugillaris

Augustinus de Dacia

This text is processed by ©Christian Troelsgård July 2021 with outset in the second edition by A. Walz, *Classica et Mediaevalia* 16 (1955), pp. 136–195. In contrast to Walz' editions, the orthographic style of the two extant manuscripts is applied here. The text of Walz' edition is accessible and searchable through Brill's Library of Latin Texts, Series A.

The sigla as assigned by Walz:

U = Uppsala, Universitetsbiblioteket C 647 (s. xiv ^{2/2}, foll. 159r - 176v

B = Basel, Universitätsbibliothek B X 9 (s. xiv-xv), foll. 37r – 69r

Deviations (apart from orthography and punctuation) from Walz' text are booked in the critical apparatus. The only differences of some importance pertain to the suggested title of Augustinus' lost 'Breuiarium' (lines 8-9) and the reinstalment of 'ira' as a capital sin (lines 692-693).

1 <Prologus>

[B 39 r b] Ad laudem Iesu Christi pro instructione iuuenum fratrum Ordinis Predicatorum et aliorum qui pro tempore ob salutem animarum predicacioni et confessionum audicioni sunt exponendi ea que communia sunt et in sacra theologia magis necessaria, simplicibus ad sciendum in unum quasi 'Rotulum Pugillarem' breuiter collecta redigi.

Ubi autem [B 39 v] nimis succincte et minus complete aliquibus dictum esse uidetur recursum habeant, si placet, ad summulum que 'Compendiosum Breuiarium Theologice' intitulatur iam nuper a me compilatam. Moneo uero iterum atque iterum ne aliqui fratres dicti ordinis Dacie ad predicta officia predicationis et confessionis assumantur priusquam de his que hic conscripta sunt et aliis que in constitutionibus prefati ordinis ponuntur ad memorata officia pertinencia diligenter examinati fuerint et approbati.

2 Habet autem hic 'Rotulus' quindecim tractatus:

- 15 In primo tractatur de introductorii sciencie theologie.
- In secundo de fide, symbolis et fidei articulis.
- In tercio de angelis et animabus.
- In quarto [B 39 v b] de gracia et eius differenciis.
- In quinto de uirtutibus theologicis, cardinalibus et aliis.
- 20 In sexto de donis et operibus misericordie.
- In septimo de beatitudinibus et contemplacione.
- In octauo de oracione et specialiter de oracione dominica.
- In nono de preceptis et plagis.
- In decimo de uotis, iuramentis et ignorancia.
- 25 In undecimo de peccatis et eorum speciebus et differenciis in generali.
- In duodecimo de quibusdam peccatis in speciali.
- In decimo tercio de sacramentis.
- In quarto decimo de distinctione temporum.
- In quinto decimo de antichristo et ultimo iudicio.

30 3 <Tractatus primus – De introductorii sciencie theologicae>

Et ideo hec sciencia est uerissima quia est a summa ueritate, nobilissima quia de nobilissimo subiecto, lucentissima quia est per dei reuelacionem, et utilissima quia

⁹ Theologice] B : Theologiae Walz

ducit ad summum bonum siue ad eternam beatitudinem, Ioan. XX: "Hec scripta sunt
 50 ut credatis et ut credentes uitam habeatis" etc. Hec sciencia quattuor modis exponi-
 tur secundum quattuor sensus scilicet unum litteralem et tres spirituales scilicet al-
 legoricum, tropologicum seu moralem et anagogicum. Verbi gracia Ierusalem secun-
 dum sensum litteralem [B 40 v] est quedam ciuitas in Iudea. Et hoc signatum siue
 55 hec ciuitas secundum sensum allegoricum significat ecclesiam militantem, secundum
 sensum tropologicum siue moralem significat animam fidelem et eius operationem,
 secundum sensum anagogicum significat ecclesiam triumphantem.

Et si qui alii eius sensus inueniuntur sub aliquo istorum comprehenduntur ut para-
 bolicus, qui frequens est in euangeliis, sub litterali et similiter metaphoricus. Et scien-
 dum est quod in omnibus sermonibus parabolicis et metaphoricis non sensus est [U
 60 159 v] litteralis quem littera prima facie pretendit sed ille quem intendit auctor, alio-
 quin esset aliqua falsitas in sacra scriptura, quod nefas [B 40 v b] est dicere. Ut cum
 dicitur deum habere manum uel pedem et similia, metaphora est et significat per hoc
 secundum sensum litteralem quod potens est deus omnia operari et omnia penetrare.
 Dictos autem quattuor sensus his uersibus comprehendo:

65
 Littera gesta docet, quid credas allegoria,
 Moralis quid agas, quid speres anagogia.

Hec sciencia in ueteri testamento continetur, quorum testamentorum libri sunt
 70 secundum ordinem hi: Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomum, Iosue, Iu-
 dicum, Ruth, Regum libri quattuor, Paralipomenon libri duo, Esdras, Nehemias Esdre
 secundus apocryphus, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes,
 Canticum canticorum, Ecclesiasticus, libri Sapiencie, Isaias, Ieremias, Baruch, Eze-
 chiel, [B 41 r] Daniel, duodecim prophete, libri Machabeorum libri duo, quattuor euan-
 geliste Mattheus, Marcus, Lucas, Ioannes, epistule Pauli quattuordecim Ad Romanos
 75 una, Ad Corinthios due, Ad Galatas una, Ad Ephesios una, Ad Philippenses una, Ad
 Colossenses una, Ad Thessalonicenses due, Ad Timotheum due, Ad Titum una, Ad Phi-
 lemonem una, Ad Hebreos una, Actus apostolorum, Epistule canonice septem scilicet
 Iacobi una, Petri due, Ioannis tres, Iude una, Apocalypsis. Hi omnes libri dicuntur esse
 80 de canone.

De quibus Augustinus in epistula: "Solum illarum scripturarum libris qui cano-
 nici appellantur hunc honorem deferre didici, ut nullum auctorem eorum scribendo
 in aliquo errasse firmissime credo". Recipiuntur etiam quattuor concilia principalia
 Nicenum, Ephesinum, Constantino[B 41 r b]opolitanum et Chalcedonense sub eadem
 85 auctoritate sicut libri canonici supradicti recipiuntur. Insuper recipiuntur scripta et
 opuscula sanctorum patrum ut Augustini, Ambrosii et aliorum tamquam authentica
 de quibus omnibus habetur in corpore 'Decretorum' distinctione decima quinta per to-
 tum. Huic sacre scripture ut dicit Augustinus hoc solum tribuitur quo fides saluberrima
 gignitur, nutritur, defenditur et robatur.

90 **4 Tractatus secundus < – De fide, symbolis et fidei articulis>**

[U 160] Est autem sciendum quod hoc nomen fides multipliciter accipitur scilicet pro sponsione, I ad Tim. V: "Quoniam primam fidem irritam fecerit", uel pro fide formata operante per dilectionem, ad Hebr. XI: "Fides est substancia rerum sperandarum argumentum [B 41 v] non apparenсium", uel pro fide informi I Corinth.: "Si habuero omnem fidem" etc., uel pro actu credendi. Augustinus: "Fides est credere quod non uides". Item pro creditis collectis in unum. Unde Athanasius: "Hec est fides catholica", et cetera. Et sic fides idem est quod symbolum. Symbolum enim est omnium credendorum ad salutem spectancium compendiosa collectio. Unde Cassiodorus: "Quidquid per uniuersum sacrorum uoluminum corpus tam immensa diffunditur copia totum in symbolo colligitur cum breuitate perfecta".

100 Symbola sunt tria, scilicet apostolicum, Nicenum et Athanasicum. Duo ultima sunt ad expositionem primi. Dicitur autem a 'syn' quod est 'cum' et 'bolus' 'morsellus' uel 'sentencia'. Apostoli namque ante suam ab inuicem separacionem symbolum componentes quilibet suam particulam posuit. He particule siue sentencie articuli dicuntur quos quidam ponunt quattuordecim, quidam secundum numerum duodecim apostolorum. Articulus [B 41 v b] secundum Isidorum est perceptio diuine ueritatis tendens in ipsam. Unde non quelibet ueritas de deo potest dici articulus sed solum ille uel illa quibus fruicti sumus in patria ut est diuina maiestas uel que nos per se ducunt ad illam fruicionem ut sunt operaciones dei que soli deo singulariter conueniunt ut est ministerium humanitatis Christi.

110 Veritas diuine maiestatis relucet in nobis in diuinarum personarum trinitate et essentie earum unitate ita scilicet quod deus pater sit perfectus deus et filius deus perfectus et spiritus sanctus deus perfectus, et hi tres siue he tres persone sunt unus deus perfectus.

115 Una essencia et una substancia. Et hic est primus articulus qui tangitur in principio cum dicitur "Credo in deum unum" scilicet in essendo et substancia. In quo uerbo excluditur error, quorumdam gentilium et Manicheorum qui ponunt plures deos. Deuteronomius: "Audi Israel dominus deus tuus unus est". Proinde in hoc insinuatur trinitas. Pater: in patre enim intelligitur filius et in utroque spiritus sanctus, qui est nexus amoris utriusque iuxta illud: In patre manet eternitas, in filio equalitas, in Spiritu sancto eternitatis equalitatisque connexio, qua diuine persone scilicet filius et Spiritus sanctus aperte in sequentibus exprimuntur. Harum tantum pater trinitatem et trinitatis unitatem ostendit. Prophetae in Psalmo dicens: "Benedicat nos deus" et cetera. "Benedicat nos deus pater". Benedicat [U 160 v] nos deus noster, scilicet filius qui nobis natus et datus est, Isaias IX. "Benedicat nos deus Spiritus sanctus et metuant eum", id est debitam reuerenciam latrie exhibeant ei.

Non dicit eos sed eum ut sicut prius expressit pater trinitatem ita postea exprimat substancie unitatem. Unum etiam clamant seraphim, Isaias VI: "Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus sabaoth".

¹³⁰ Differt autem secundum Augustinum credere deo, credere deum et credere in deum, nam primum et secundum faciunt peccatores et in peccato mortali exsistentes. Credunt enim deum esse et credunt ei secundum quod uera sunt que dicit per sacram scripturam. Sed credere in eum est per fidem operantem per dilectionem ire uel tendere in deum quod faciunt tantum boni et non illi qui sunt in peccato mortali. Propter ¹³⁵ quod dicunt aliqui quod cum tales dicunt symbolum peccant quia mentiuntur. Sed non est uerum quia cum dicunt credere in deum dicunt in persona ecclesie sicut mulier dicit: "Letatus sum", etc. Item potest dici quod profitetur articulos fidei ut sit sensus, 'credo in deum' id est profiteor credendum esse in deum.

¹⁴⁰ Operaciones que soli deo singulariter conueniunt respiciunt uel naturam uel graciā uel gloriam. Si naturam quam de nihilo creauit, ponitur secundus articulus de creacione cum dicitur "creatorem celi", et cetera. Ipse enim creauit celum et terram, mare et omnia que in eis sunt. Si respicit graciā hoc erit uel ad ecclesie fundacionem uel ad ecclesie renouacionem. Racione primi ponitur tercius articulus cum dicitur "in spiritum sanctum", deum explicite ut supra dictum est, implicite et per ipsum siue eius dona sibi specialiter attributa institutiua et constitutiua sanctam ecclesiam, id est mundam congregacionem non habentem rugam neque maculam. Ephes. V. "Catholicam", id est, uniuersalem ecclesiam. "Sanctorum communionem" id est eorum qui communicant eadem sacramenta et dei dona hominem gratificancia. Psalmus: "Ipse" namque "fundauit eam", ecclesiam scilicet, "altissimus".

¹⁵⁰ Racione renouacionis ponitur quartus articulus cum dicitur: "Remissionem peccatorum", sup[B 42 r b]ple: 'credo per deum, siue per Spiritum sanctum ecclesie'. Nemo enim potest dimittere peccata nisi solus deus. Isai. XLIII: "Ego sum qui deleo peccata".

¹⁵⁵ Ad hos duos articulos ultimos referuntur omnia sacramenta, precepta et dei dona que non tanguntur in aliquo alio articulo speciali. Si autem respicit gloriam quam deus est suis daturus, hoc erit uel per gloriosam resurrectionem et sic ponitur unus articulus ibi: "Carnis resurrectionem" credo scilicet futuram per deum. I ad Corinth. XV: [U 161] "Omnes quidem resurgemus", et cetera, uel per beatitudinem in patria et sic sextus articulus qui ponitur: "in uitam eternam" credo dandam per deum. Ioan. X: "Ego uitam eternam do eis". Non enim possumus uitam eternam mereri ex condigno, quia non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam que reuelabitur in nobis. ¹⁶⁰ Huius autem glorie et eterne uite participes sunt angeli sancti et anime racionales. De quibus dicetur infra im[B 42]mediate post distinctionem articulorum.

¹⁶⁵ Articuli pertinentes ad mysterium humanitatis Christi sunt sex, uidelicet de filii dei incarnatione que notatur, ubi dicitur conceptus de Spiritu sancto natus ex Maria uirgine. Licet tota trinitas operata est incarnationem tamen attribuitur Spiritui sancto cui inter diuinias personas attribuitur bonitas et clemencia, nam illud opus fuit summe benignitatis. Tit. III: "Apparuit benignitas et humanitas saluatoris nostri dei" etc.

Verumtamen propter hoc Spiritus sanctus non dicitur pater filii nec etiam tota trinitas dicitur pater filii sed solus pater. Et sicut deus et homo sunt una persona ita etiam filius dei et filius uirginis est unus filius. Secundus articulus est de passione quod notatur ibi: "passus". Ubi [B 42 v b] notatur passio, iudex: "sub Pontio Pilato", modus passionis: "crucifixus", finis: "mortuus et sepultus". De primo Isaias: "Tamquam ouis ad occisionem ducetur". Petrus: "Christus passus est pro nobis" etc. De secundo Apostolus: "Tradebat autem iudicanti se iniuste". De tercio Sapiencie II: "Morte turpissima condemnemus eum", Phil. II: "Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis". De quarto Matth. VII: "Iesus uoce magna clamans emisit spiritum".

Unde in Act. "deponentes eum de ligno". Ioan. XIX cum accepisset acetum dixit "Consummatum est". Tercius articulus est de liberacione patrum in limbo qui notatur ibi: "Descendit ad inferna", hoc est anima Christi unita diuinitati que corpore iacente in sepulcro descendit ad inferna, non ad puteum eternaliter damnatorum, non ad cruciatum purgandorum, non ad limbum puerorum sed tantum ad limbum patrum [B 43 r] siue sinum Abrahe. Hec enim dicuntur quattuor loca uel sinus inferni. Descendit ad liberandum patres non de loco forte mutando, sed lumen diuine claritatis ostendendo quia in suo [U 161 v] lumine uiderunt lumen. Quartus articulus est de resurrectione. "Tertia die resurrexit a mortuis", quod intelligendum est per synecdochen ut ponatur pars pro toto, quia pars sexte ferie ponitur pro toto id est una naturali die et similiter sabbatum cum sua nocte pro secunda die naturali. Pars dominice diei ponitur pro tota die tercia naturali. Quintus articulus est de ascensione. "Ascendit ad celos" etc. Patenter, Luc. ultimo: "Videntibus illis eleuatus" etc. Potenter, Isaias: "Gradiens in multitudine fortitudinis sue". Glorianter, Psalm.: "Ascendit deus in iubilacione" etc. "Sedet ad dexteram patris", id est in excellentissima [B 43 r b] gloria patris quia tunc glorificatus est deus et homo claritate quam habuit deus dei filius ante secula. Sextus articulus est de ultimi iudicii examinacione. Inde, id est de celo uenturus est in mundum inferiorem in aerem super montem oliueti. "Iudicare uiuos et mortuos", id est bonos et malos.

Hos duodecim articulos his uersibus comprehendo:

Sunt pater et natus, flamen deus et deus unus.
Hic creat et fundat, laxat reuelatque coronat.
Nascitur et patitur, soluit, surgit, uolat, audit.

5 <Tractatus tercius – De angelis et animabus>

Iam de his que supra promisimus scilicet de angelis et animabus aliquid est dicendum. Angelice nature quattuor dicuntur attributa ab initio scilicet essencie simplici-

¹⁸⁵ per synecdochen] sinodochen *U* : per sino dochēn *B* : secundum synecdochen *Walz*

²⁰⁵ tas, racionis perspicuitas, arbitrii libertas et personalis [B 43 v] discretio. Angelorum autem alii sunt boni, alii mali. Boni qui a deo creati sue creacionis confirmationem humiliter exspectabant. Mali ut lucifer et qui cum eo consenserunt.

²¹⁰ Angelus autem bonus sic definitur a Damasceno: "Angelus est substancia intellectualis semper mobilis arbitrio libera incorporea deo ministrans gracia non natura immortalitatem suscipiens". Substancia ponitur ad differenciam accidentum. Intellectualis ad differenciam rationalitatis que est in hominibus. Semper mobilis arbitrio libera ad differenciam sensibilium. Incorporea ad differenciam uegetabilium et pure corporalium. Deo ministrans ad differenciam malorum angelorum siue demonum. Gracia non natura immortalitatem suscipiens ad differenciam dei qui ex [B 43 v b] nullius dono habet esse uel immortalitatem sed a se ipso siue ex sua natura.

²¹⁵ [U 162] Bonorum angelorum tres distinguuntur hierarchie scilicet suprema que dicitur 'ephiphonia', media que dicitur 'hyperphonia' et infima que dicitur 'hypophonia'. Et dicitur hierarchia a 'hierar' quod est 'sacrum' et 'archos' 'principatus', quasi sacer principatus. Et definitur a Dionysio: "Hierarchia est ordo diuinus sciencia et actione deiformis quantum possibile est deo similans et adiudicans ei diuinitus illuminaciones proporcionaliter in dei similitudinem ascendens". Et nota quod tria ponit scilicet ordinem siue ordinatam potestatem, scienciam et actum, quorum nullum sine altero ualet ad ascensum in dei similitudines. Quilibet autem hierarchia tres habet ordines.

²²⁰ Suprema habet seraphin cherubin [B 44 r] et thronos, media habet dominaciones principatus potestates, infima uirtutes archangelos et angelos. Ordo est multitudo spirituum celestium qui inter se aliquo munere gracie similantur, sicut et in naturalium bonorum participacione conueniunt. De horum omnium differencia cognizione locuzione motu loco et causis similibus require in 'Breuiario'. Boni itaque angeli confirmati sunt in bono quod non possunt malum uelle nec mali fieri et dicuntur a Platone 'caledemones' id est boni scientes. Mali autem angeli dicuntur a Platone 'cacodemones' id est mali scientes quia ita obstinati sunt in malicia quod non possunt bonum uelle nec boni fieri. Est autem in eis triplex malum scilicet furor irrationabilis, amens concupiscencia et phantasia proterua. Prestant etiam alii [B 44 r b] aliis et diuersi diuersi uiciis ad que homines trahere nituntur. Et sicut cuilibet homini datur unus angelus bonus in custodiam sic unus malus permittitur in exercitium. Duodecim bona que nobis faciunt angeli his uersibus comprehendo:

Solatur stimulat docet offert excitat arcet
Ostendit remouet sanat iuuat increpat orat.

²⁴⁰ Anima secundum Aristotelem est actus siue forma uel perfectio corporis organici physici uitam habentis in potentia. Hec definitio eque conuenit anime sensitiae ut rationali et magis. Anima autem rationalis definitur sic ab Isaac in libro 'De motu cor-

dis': "Anima est substancia intellectiua incorporea illuminacionum que a primo sunt
 245 ultima relacione perceptiua". [U 162 v] Ipsa enim [B 44 v] ultimum locum tenet in intellectiuis. Non enim habet inditam sibi noticiam omnium rerum sicut intelligencie separate siue angeli sed oportet eam species a corporeis sensibus suscipere et de uno in aliud discurrendo raciocinari et sic intelligere.

Habet uero anima rationalis tres potencias: uegetatiuam, sensitiuam et intellectiuam.
 250 Partes siue potencie uegetatiue sunt nutritiua, augmentatiua, generatiua. His tribus deseruiunt attractiua, receptiua, digestiua, expulsiua. Sensitiue partes sunt apprehensiua et motiua. Apprehensiua est duplex scilicet exterior que habet quinque sensus exteriores quibus rerum species et res ipsas comprehendit. Qui sunt uisus, auditus, gustus, tactus, olfactus siue odoratus. Interior apprehensiua similiter habet quinque sensus interiores qui sunt sensus communis, imaginacio, phantasia [B 44v b] et memoratiua, motiua. Motiua sensitiuae similiter est duplex una que imperat motum ut appetitiua et dicitur sensualitas et comprehendit concupiscibilem et irascibilem. Altera que exsequitur motum que est sita in musculis et nervis.

Intellectiue etiam due sunt partes scilicet apprehensiua et motiua. Apprehensiua intellectiue diuiditur in intellectum agentem et possibilem. Et possibilis distinguitur in intellectum speculatiuum et practicum, quibus non sunt diuerse potencie sed diuersi actus eiusdem potencie. Motiua intellectiue est uoluntas et liberum arbitrium, que non sunt diuerse potencie sed nominant diuersos actus eiusdem potencie. Syndesis nominat habitum, conscientia actum et similiter reminiscencia nec sunt potencie.
 260 racio superior et inferior sunt una potencia et secundum actus binominantur. Potencia [B 45 r] anime est proximum principium operacionis eius. Apprehensiue actus est intelligere, obiectum eius uerum, perfectio est sciencia, imperfectio ignorancia. Motiue siue affectiue actus est diligere, obiectum eius bonum, perfectio uirtus, imperfectio uicium siue peccatum.

270 6 <Tractatus quartus – De gracia et eius differenciis>

Gracia dicitur tripliciter scilicet generaliter, specialiter et proprie. Generaliter quodlibet donum dei quod datur homini siue ut sit siue ut bonum sit. Specialiter quodlibet donum dei quod datur homini ad excellentius bonum obtinendum in se uel in alio. Et hec gracia dicitur gratis data. Proprie quodlibet donum dei quod datur homini ut gratius sit deo et opus eius gratum deo reddatur. De his I ad Corinth. XV: "gracia dei sum id quod sum", quantum ad primam, "et gracia eius in me uacua non fuit", quan[B 45 r b]tum ad secundam graciam, "et gracia eius semper in me manet, quantum ad terciam". Et de graciis gratis datis enumerat [U 163] apostolus nouem differencias I ad Corinth. XII "Diuisiones graciarum sunt".

244 illuminacionum] B : illuminationem Walz

²⁸⁰ Alii quidem datur per spiritum sermo sapiencie, alii sermo sciencie, alii fides, alii gracia sanitatum, alii operacio uirtutum, alii prophecia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretacio sermonum. Hec autem omnia operatur unus atque idem spiritus diuidens singulis prout uult.

Quas gracias his uersibus comprehendo:

²⁸⁵

Cor mouet ut pareat Christo data gracia gratis.
Scit, sapit et credit, sanat uirtute quod claret.
Prophetat, cor discerit, linguis dat et interpretatur.

²⁹⁰

Et nota quod aliter accipitur hic sapiencia et sciencia quam in septem donis Spiritus sancti principalibus. Et fides hic posita non notat uirtutem theologicam sed no[B 45 v]tat plenam noticiam de credibilibus scibilibus et sapibilibus. Secundum aliquos duo prima pertinent ad plenam cognitionem uite contemplatiue et actiue, tria consequentia ad plenam confirmationem fidei, quattuor ultima ad plenam probacionem utriusque.

²⁹⁵

Miraculum secundum Augustinum in libro 'De utilitate credendi' est opus arduum et insolitum preter spem et facultatem consistens admirantis. Est autem miraculum uel contra uel supra uel preter cursum nature siue ordinem uirtute diuina. Aliquando dat deus potentiam ad actum qui est contra cursum nature ut solem recurrere et mare diuidi. Aliquando dat potentiam ad actum qui est supra cursum nature ut uirginem parere. In quibus res in qua fit miraculum nihil affert nisi potentiam passiuam siue obedienciam. Aliquando dat potentiam ad actum naturalem ut in illuminacione ceci [B 45 v b]. Aliquando remouens impedimenta ut possit operari natura, ut in curacione febrium et hec duo sunt preter naturam.

³⁰⁰

Prophecia est inspiracio uel reuelacio diuina rerum euentus immobili ueritate denuncians. Et fit quattuor modis scilicet secundum influxum diuini luminis, secundum immissionem specierum intellectualium, secundum impressionem imaginabilium formarum et secundum expressionem formarum sensibilium. Fit etiam de presenti, preterito et futuro. Aliter dicitur quod prophecia fit per facta, dicta, uisiones, somnia et diuini luminis influxum. Est autem triplex uisio scilicet corporalis, spirituialis siue imaginatiua et intellectualis. Quinque autem sunt genera somniorum scilicet somnium, phantasma, sompnium, uisio et oraculum.

³¹⁰

[U 163v] Gracia gratum faciens distinguitur in graciam preuenientem et subsequentem. [B 46 r] Secundum, quinque differencias que accipiuntur secundum quinque effectus gracie gratificantis. Primus est ut anima sanetur, secundus est ut bonum uelit, tertius ut efficaciter operetur, quartus ut in bono perseueret, quintus ut glorifice-

³¹² sompnium] mss. : somnum Walz

tur. Augustinus: "Preuenit gracia ut sanemur. Subsequitur ut uegetemur". Preuenit ut uocemur. Subsequitur ut seruiamus et glorificemur. Unde:

- ³²⁰ Gracia uult, sanat, operatur, seruat et ornat.

Licet habitus uirtutum, donorum et beatitudinum sunt gracie gratificantis, differunt tamen in hoc quod habitus uirtutum sunt ad bonum opus incohandum, habitus donorum ad expedite operandum, habitus beatitudinum ad bonum opus consummandum.

7 <Tractatus quintus – De uirtutibus theologicis, cardinalibus et aliis>

Virtus autem secundum Augustinum est bona qualitas mentis qua bene uiuitur, qua nemo male utitur, quam deus in nobis operatur. Virtutes que perficiunt partem motiuam anime rationalis sunt septem, tres theologice scilicet fides spes caritas, et ³³⁰ quattuor cardinales scilicet prudencia, temperancia, fortitudo et iusticia. Fides est substancia rerum sperandarum argumentum non apparentium. Cuius actus est credere. Obiectum autem quid diuinum quod non uidetur oculo corporali. Spes autem est certa exspectacio futurorum bonorum ex bonis meritis et gracia dei proueniens. Huius actus est sperare, obiectum a bonum diuinum quod non habetur in re. Caritas est dilectio qua deus diligitur propter se et proximus propter deum. Huius actus est amare, obiectum per se bonum. Quattuor sunt diligenda scilicet ipse deus, proximus, diligens et corporalia.

Quattuor sunt uirtutes cardinales scilicet prudencia, temperancia, fortitudo, iusticia. Prudencia est [B 46 v] rerum bonarum et malarum et utrarumque condicio. ³⁴⁰ Temperancia est racionis in libidinem et in alios non rectos animi appetitus firma et moderata dominacio. Fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpessio. Iusticia est habitus animi communi utilitate seruata suam unicuique tribuens dignitatem. His quattuor uirtutibus cardinalibus debent regi quattuor affectiones scilicet gaudium, spes, timor et dolor. Gaudium de bono presenti, spes de bono futuro, timor de malo futuro, dolor de <malo> presenti. Item quattuor sunt modi harum quattuor uirtutum secundum quod sunt in diuersis substanciis propter quod [B 46 v b] dicuntur politice [U 164] purgati animi et exemplares. Partes prudencie sunt tres scilicet memoria preteritorum, intelligencia presentium, prouidencia futurorum. Partes temperancie sunt tres scilicet abstinentia a cibo et potu, continencia in mente et opere, modestia in uerbo et sermone. Partes fortitudinis sunt aggressio arduorum, pacientia aduersorum, equanimitas in subita mutacione fortuitorum. Partes iusticie sunt unicuique quod suum est reddere, honeste uiuere, neminem ledere. Quattuor harum uirtutum dicuntur cardinales quia sicut ostium in cardine sustentatur et uoluitur ita

nos in quattuor his uirtutibus debemus in presenti [B 47 r] sustentari et in omnibus operibus nostris moueri et dirigi. Prudencia namque docet quid sit eligendum, temperancia electis rebus uel habitis qualiter sit inhiandum, fortitudo qualiter in aduersis uel magnis procedendum, iusticia qualiter cum omnibus conuersandum. De his Sapiencia VIII: "Sobrietatem et prudenciam docet, iusticiam et ueritatem quibus nihil est utilius in uita hominibus". Tres uero dicuntur theologice quia disponunt nos et ordinant ad fruicionem dei que consistit in uisione, tencione et perfecta dilectione. Fides disponit nos ad uisionem, spes ad apprehensionem siue tencionem [B47 r b], caritas ad perfectam dilectionem. De his I ad Corinth. XIII: "Nunc manent fides, spes, caritas tria hec", etc. Has autem septem uirtutes hoc uersu comprehendo:

365 Credens sperat, amat, scit, temperat, audet et equat.

Sunt etiam quinque uirtutes intellectuales que perficiunt hominem quantum ad intellectiuam, scilicet sapiencia, intellectus, sciencia, prudencia et ars, quarum tres prime perficiunt intellectum speculatiuum. Sapiencia enim perficit intellectum speculatiuum ad intelligendum causas primas et altissimas, intellectus ad intelligendum principia, sciencia ad intelligendum conclusiones. Due sequentes perficiunt intellectum practicum. Prudencia quidem ad intelligendum agibilia, ars ad factibia. Que in hoc differunt quod actus agibilium terminatur intra ut uidere, audire. Actus uero factibilium terminatur in exteriore materia [B 47 v] ut secare, edificare.

375 8 <Tractatus sextus – De donis et operibus misericordie>

Dona Spiritus sancti principalia dicuntur septem effectus spiritus sancti qui dantur ad expedicionem [U 164 v] uirtutum. Que sunt timor, pietas, sciencia, fortitudo, consilium, intellectus, sapiencia, ut habetur Isaia XI: "Timor expellit omne peccatum." Pietas nos suauiter deo subicit. Augustinus: "Pietas hominem deo subicit tamquam animal mansuetum, sicut timor domini iugum diaboli abicit." Sciencia instruit. Gregorius: "Pietas sine sciencie discrecione, quomodo misereatur, ignorat." Fortitudo robur tribuit. Gregorius: "Fortitudo confidenciam tribuit contra aduersa." Trepidanti consilium custodit. Gregorius: "Consilium ratione animum implens prohibet esse precipitem [B47 v b]." Intellectus secundum eundem de auditis et uisis cor illustrat. Sapiencia, ut idem dicit, spe et certitudine eternorum mentem reficit. Nota etiam quod sapiencia aliquando ponitur pro sapida sciencia secundum illud: 'Inuocasti plane sapienciam si preterite uite peccata defleas, si huius seculi desiderabilia paruipendas, si eternam uitam toto desiderio concupiscas. Inuenisti sapienciam si singula horum tibi sapiunt prout sunt'.

390 Sunt autem septem dona ratione septem uiciorum, quibus opponuntur. Item ratione septem uirtutum ad quarum operum expedicionem conferuntur. Timor enim expedit fidei opera contra superbiam. Pietas opera iusticie contra inuidiam, sciencia opera prudencie. contra iram, fortitudo opera fortitudinis contra acediam, consilium opera temperan[B 48r]cie contra auariciam, intellectus opera spei contra gulam, sapientia opera caritatis contra luxuriam. Item sunt septem que habilitant hominem ad septem beatitudines. Quia timor ad paupertatem spiritus, pietas ad mititatem et sic secundum ordinem donorum et beatitudinum. Sciendum autem quod quinque prima pertinent ad uitam actiuam et duo ultima ad uitam contemplatiuam. Hec septem dona comprehendo his uersibus:

400 Cui timor et pietas sunt atque sciencia sancta
Fortis consilians intelligit et sapit alta.

405 Vita actiuia regitur quinque donis Spiritus sancti et se exercet circa opera misericordie et iusticie, quorum quedam sunt corporalia que tanguntur in hoc uersu:

Visito, poto, cibo, tego, redimo, [B 48 r b] colligo, condo.

Quedam uero sunt spiritualia que tanguntur in hoc uersu:

410 Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Nota etiam quod uirtutes specialiter [U 165] nos disponunt ad exercitia uite actiuie, dona ad exercitium uite contemplatiue, beatitudines ad perfectionem utriusque.

415 9 <Tractatus septimus – De beatitudinibus et contemplacione>

Beatitudo est duplex scilicet uie et patrie. Beatitudo patrie est status omnium bonorum aggregacione perfectus. Beatitudo uie, secundum quod colligitur ex uerbis Ambrosii, est gracia non cuicunque sed uere sapienti nota faciens suauitatem conscientie et propinquos gracie. Sunt autem beatitudines uie septem, scilicet paupertas spiritus, mititas, luctus etc. quas enumerat dominus, Mathei V. Quas his uersibus comprehendo:

401 atque] U : adque B : ad quae Walz

Qui pauper, mitis, flens, esuriens [B 48 v] miseretur,
Mundus, pacificus. Hunc dicas esse beatum.

425

Prima autem his correspondencia pertinent ad beatitudinem patrie, que quibuscumque nominibus nominentur, unam et eamdem signant beatitudinem ut dicit Augustinus. Fructus autem spiritus duodecim, quos enumerat apostolus ad Galatas V, scilicet caritas, gaudium, pax, pacienza, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continencia, castitas. Sunt spirituales delectaciones opera perfecta consequentes quorum fructuum quinque primi respiciunt deum, quattuor sequentes respiciunt proximum, tres ultimi ipsum delectantem. Sensus spirituales sunt percepciones intelligibiles circa ueritatem contemplacionis diuine. Que quidem contemplacio [B 48 v b] fuit in prophetis per triplicem uisionem scilicet corporalem spiritualem siue imaginariam et intellectualem, in aliis autem scienciis per speculacionem siue contemplacionem.

430

Contemplacio est libera mentis perspicacia in diuine sapiencie spectacula cum alta admiracione suspensa. Ad contemplacionem diuinorum obtainendam necessaria est cordis mundicia. Unde dicit psalmista: "Cor mundum crea in me deus" etc. Item quies, 440 solitudo, taciturnitas et mentis eleuacio iuxta illud Thren. III: "Sedebit solitarius et tacabit quia leuauit se super se". Item circa quattuor uersatur, scilicet circa beneficiorum latitudinem, promissorum longitudinem, iudiciorum profunditatem et diuine celsitudinis siue altitudinis ma[B 49]iestatem iuxta illud Ephes. III: "Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis que sit longitudo, latitudo, sublimitas, profundum". Con[U 445 165 v]templantis operaciones sunt sex scilicet cordis quietacio, felix et dulcis intencio, dilectio, oracio, laudacio, graciarum actio. Tribus modis uariatur contemplacio uidelicet dilatacione, eleuacione, alienacione. Gradus contemplacionis a sanctis solent poni sex communiter. Primus est in sensu et sensibilibus, secundus in imagine et imaginabilibus, tertius in racione, quartus in intellectu, quintus in intelligencia, sextus in sapiencia.

450

10 <Tractatus octauus – De oracione et specialiter de oracione dominica>

455

Oracio est ascensio uoluntatis nostre ei a quo impetrare speramus id quod desideramus. Omnia autem oracionum oracio [B 49 r b] dominica uidetur excellentissima ratione auctoris quia Christus eam composuit et discipulis tradidit. Item racione fecunditatis quia omnia a deo petenda continet et in se concludit. Item racione breuitatis. In prima primo ponitur beneuolencie captacio, secundo septuplex petitio: "Sanctificetur nomen tuum", tercio petpcionum confirmacio animi. In captacione beneuolencie allegatur pietas, paternitas. "Pater": nobilitas largitatis amplissime. "Noster": non meus uel tuus sed omnium. Item dignitas sublimissime maiestatis: "Qui es in celis". De

⁴⁶⁰ primo dicitur in Luc.: “Quis ex uobis patrem panem petit” etc. De secundo Eph.: “propter nimiam caritatem suam” etc. De tercio Ioan. III: “Qui de celo uenit super omnes est”, etc. [B 49 v]. Nota quod hoc nomen pater ponitur hic essentialiter id est pro tota trinitate, non personaliter siue pro una persona. Item nota quod deus dicitur pater communiter proprie et magis proprie. Communiter per creacionem secundum illud Deuteron. XXXII: “Numquid non ipse est pater tuus” etc. Proprie per adoptacionem Rom. VII: “Accepistis spiritum adopcionis in quo clamamus abba pater”. Magis proprie per generacionem et sic pater ponitur personaliter, et est pater tantum unigeniti filii dei Iesu Christi. “Qui est in celis”. Licet deus ubique sit tamen dicitur esse in celis, quia excellentius ibi apparent eius operaciones et uirtutes quam alibi.

⁴⁷⁰ In secunda parte septem proponuntur peticiones scilicet nominis dei: “sanctifice tur nomen tuum”, regni dei appropinquacio [B 49 v b]: “adueniat regnum tuum” [U 166], uoluntatis nostre uoluntati diuine conformacio: “fiat uoluntas scilicet in celis et in terra”, panis spiritualis et corporalis collacio: “panem nostrum cotidianum da nobis etc.”, debitorum remissio: “dimitte nobis” etc., securitatis deductio: “et ne nos inducas” etc., ab omni malo culpe et pene liberacio: “sed libera nos a malo” etc., petitionum confirmacio: “amen”.

⁴⁸⁰ In nominis sanctificacione petitur plena beatificacio que tres dotes anime et quatuor corporis comprehendit, unde hec dicit Glossa: “Tales nos fac ut sanctus in nobis appareas”, quia summe erit in perfecta corporis et anime glorificacione, quia tunc similes ei erimus. In secunda scilicet regni appropinquacione petuntur septem beatitudines que nos in regnum celorum inducunt. Psalmus [B 50 r]: “Tenuisti manum dexteram meam etc.” In tercia peticione petuntur septem dona Spiritus sancti quem uenit filius mittere in terram, que conformant uoluntatem nostram uoluntati diuine. Per ignem enim Spiritus sancti fit cor nostrum quasi cera liquecens quod uoluntas dei informat sicut sigillum secundum illud Cant.: “Pone me sicut signaculum super corratum” etc. In quarta peticione petuntur septem uirtutes que nos reficiunt confortant et armant. Virtus enim secundum Augustinum est bona qualitas mentis qua recte uiuit etc. In quinta peticione petitur debitorum relaxacio que specialiter fit per opera misericordie. Unde dominus in Luce: “Date eleemosynam”, corporale scilicet et spirituale, “et omnia munda sunt uobis.” Que tanguntur supra in illo uersu: “Visito, poto” etc. In sexta peticione petitur preceptorum dei adimpletio secundum illud Matthei: “Si uis [B 50 r b] ad uitam ingredi serua mandata”. In septima peticione petitur effectus septem sacramentorum per quem mala culpe et pene excluduntur ut patet specialiter in baptismo et penitencia. Unde manifestum est hanc oracionem dominicam esse fecundissimam et perfectissimam quia secundum Augustinum in ‘Glossa super Mattheum’: “Nihil est quod in his petitionibus non contineatur siue ad presentem uitam siue ad futuram pertineat coronam”, propter quod secundum aliam glossam ibidem dicitur: “Nihil restat amplius petendum, nil restat amplius metuendum”. [U 166 v]

11 <Tractatus nonus – De preceptis et plagis>

500 Preceptum est imperium obligans ad obseruacionem rei uel actus imperati. Preceptorum autem alia sunt ceremonialia, alia iudicialia, alia moralia. Precepta ceremonialia sunt que in ueteri testamento instituta [B 50 v] fuerunt tantum ad signandum ea que in nouo testamento erant spiritualiter. De quibus dicitur I ad Cor. X: "Omnia in figura contingebant illis". Et hec in nouo testamento ad litteram non debent seruari. Iudicialia alia uero sunt que erant instituta ad signandum et opere complendum et possunt in nouo testamento seruari ex institutione habentis auctoritatem. Moralia uero sunt ad que seruanda sumus obligati. Hec autem sunt decem de quibus habetur Exod. XX: "Non habebis deos alienos" etc. "Non accipies nomen domini tui in uanum". Quorum tria prima immediate pertinent ad deum, septem sequencia ad proximum.

510 Primum ad deum pertinens est: "Non habebis deos alienos", sed dominum deum tuum adorabis. Circa quod faciunt qui sortilegiis diuinacionibus et similibus intendunt [B 50 v b]. Unde Augustinus 'De ciuitate dei': "Qui sine saluatore salutem querit, etc., non est sapiens sed stultus, etc.", ut habetur XXVI. Secundum est: "Non assumes nomen dei tui in uanum" scilicet periuando. Item non male uiuendo ne nomen Christi blasphemetur in gentibus quod nobis est in peccatum qui dicimus christiani. Item non sine ratione nimis frequenter iurando Eccli. XXIII: "non assuescat os tuum iuracioni", multi enim sunt casus in illa. Hoc tamen ultimum non creditur mortale peccatum nisi quis non curet per quid et qualiter iuret. Tercium est: "Memento quod diem sabbati sanctifices". Opera seruilia in ea non operando maxime autem seruilia sunt peccata. 515 Qui enim facit peccatum seruus est peccati et ideo seruilia sunt sua opera. Pro sabbato iam nos dominicam seruamus in qua et etiam in aliis festiuis diebus [B 51 R] debemus supplere ea que minus fecimus per dies feriales in seruicio dei. In his tribus preceptis prime tabule precipitur nobis deo seruire corde, ore et opere.

Quartum preceptum siue primum secunde tabule quod pertinet ad proximum est: 520 "Honora patrem tuum et matrem tuam" id est parentes carnales et spirituales ut sunt prelati ecclesie et mater [U 167] ecclesia. Hebr. XIII: "Obedite prepositis uestris per omnia". Quintum est: "Non occides" obediendo, accusando, consulendo, auxilium tribuendo nec manu nec mandato nisi auctoritatem habeas a lege et si occideris secundum mandata malefactores non tu occidis sed lex, secundum illud: "Maleficos non patieris uiuere". Sextum est: "Non mechaberis". Hic omnis usus peccati qui potest fieri per gen[B51 r b]italia prohibetur secundum Augustinum in Glossa: "Non cuiquam miscearis excepto federe matrimonii". Septimum: "Non furtum facies". Glossa: "Hoc prohibet quamlibet rei alienae usurpcionem quod est uicum rapacitatis". Octauum est: "Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium". Glossa: "Quod uicum est mendacii et falsitatis". Exodus XXIII: "Non iungas manus tuas ut pro impio dicas falsum testimonium". Nonum est: "Non concupisces uxorem proximi tui". Glossa: "Etiam uoluntatem adulterandi uetat". Aliud est enim facere, aliud uelle uel desiderare. 530 Unde duo precepta sunt: "Non mechaberis" et "non concupisces uxorem proximi tui".

540 Decimum est: "Non concupisces rem proximi tui". Hic prohibet ambitionem seculi secundum Glossam.

Nota quod sicut decem plagis percutitur Egyptus et demones subiunguntur, sic decem preceptis tabule scribuntur quibus populus dei regatur. Nota quod duo precepta dat contra concupiscenciam carnis et duo contra concupiscenciam oculorum scilicet: "Non furtum facies", "non concupisces rem proximi tui", quia proni sunt homines ad hec duo peccata.

545 Hec decem precepta sunt decem chorde psalmiste operacionis nostre. In psalterio decem chorde psalterii operacionis nostre secundum illud: "In psalterio decem chordarum psallite illi". Que continentur his uersibus:

550 Sunt precepta dei nomen, festum, pater et mors,
Mechus, fur, testis, coniux, res sis memor horum.

Et nota quod ad precepta affirmativa tenemur semper et non ad semper, ad negativa uero tene[B51 v b]mur semper et ad semper.

555 Nota quod illa tria prima precepta continentur in illo precepto: "Diliges dominum deum tuum". Ex toto corde tuo, quantum ad primum. Ex tota anima, quantum ad secundum. Ex tota mente, quantum ad tertium. Septem uero sequencia continentur in eo quod sequitur: "Diliges proximum tuum sicut te ipsum". Unde patet quod precepta moralia fundantur et continentur in dilectione. Unde Rom.: "Qui diligit proximum suum legem impleuit, plenitudo ergo legis est est dilectio". Item nota quod a decem plagis Egypti liberantur fideles per obseruanciam decem preceptorum [U I67v] ut ostendit 'Glossa super Exodus' XI. Que plage his uersibus continentur:

560 Sanguis, rana, culex, musce, pecus, ulcera, grando,
Bruchus, caligo, mors obti[B 52 r]nuere necando.

12 <Tractatus decimus – De uotis, iuramentis et ignorantia>

Votum est alicuius boni cum deliberacione facta promissio. Unde patet quod uotum non debet fieri in malis et si aliqua firma promissio facta fuerit in malis rescindenda est secundum illud: "In malis promissis rescinde fidem, in turpi uoto muta decretum". Causa XXII § 4 "In malis" etc. Item quod non debet fieri ex leuitate sed cum bona deliberacione.

570 Votum aliud <dicitur> necessitatis ut abrenunciare diabolo et pompis eius, teneare fidem, seruare decalogum et similia. Aliud uoluntatis quo quis se obligat uoluntarie ad quod ante uotum non tenetur sed post uotum tenetur hoc necessario seruare.

Votum uoluntatis aliud est simplex, aliud solemne [B 52 r b]. Simplex est cui nulla solemnitas adhibetur et tamen obligat apud deum sicut solemne. Solemne est quod fit cum solemnitate que est per legitimam professionem expressam uel occultam uel presumptam que tractu temporis anni complicatur. Item per ordinis suspcionem.

580 Item secundum aliquos per habitus suspcionem. Differt tamen solemne et simplex uotum continencie in hoc quod solemne dirimit matrimonium contractum, simplex autem non sed impedit contrahendum. Potest autem recedi a uoto dispensacione et auctoritate superioris. Item auctoritate propria transeundo ad excellentius et sanctius uotum. Item ratione condicionis apposite uel necessario apponende uel subintelligende. Item ratione obediencie superioris. Vouere possunt [B 52 v] qui sui iuris sunt et legitime etatis, alii non, uidelicet puer annorum tredecim et puella duodecim possunt uotum castitatis emittere et religioni se reddere uel etiam matrimonium contrahere quia legitime etatis.

Iuramentum est affirmacio uel negacio de aliquo sacre rei attestacione firmata.

590 Prohibetur autem iuramentum cum causa non subest, permittitur cum causa subest ut purgacio criminis, fedus pacis persuasio utilitatis et similia. Forma iuramenti alia est simplex ut in ueteri lege iurauerunt: ‘uiuit dominus’, in primitiva ecclesia: ‘testis est mihi dominus’, hodie: ‘per deum’. Alia solemnis que fit [U 168] cum interposicione sacre rei ut euangeliorum. Testificacionis iu[B 52 v b]ramenti tres sunt species scilicet ueritas, iudicium et iusticia. Hoc est ut iuramentum sit uerum discretum et utile.

600 Ignorancia alia est negacionis, alia priuacionis. Negacionis est quam habet qui non est aptus ad sciendum ut infans ignorans loqui. Priuacionis uero est quam habet qui est ad sciendum aptus et tamen nescit et hec est duplex scilicet facti uel iuris. Ignorancia facti est qua quis ignorat quid fit uel factum est et tunc aut adhibuit diligenciam debitam <et> excusat a toto, aut non adhibuit debitam diligenciam et excusat a tanto et non a toto.

605 Ignorancia iuris est qua quis ignorat quid faciendum, quid de iure scire tenetur et hec aut est simplex aut crassa aut affectata. Simplex est qua quis ignorat quod tenetur scire et tamen laborat ad sciendum. Crassa est qua [B 53 r] quis ignorat quod scire tenetur et non uult scire sed non laborat quomodo debet ad sciendum, affectata est qua quis ignorat que scire tenetur et non uult scire immo affectat ignorare. Harum trium prima scilicet simplex excusat et est pena tantum, non culpa. Secunda est pena et culpa. Tercia culpam habens annexam constanciam et aggrauacionem.

13 <Tractatus undecimus – De peccatis et eorum speciebus et differenciis in generali>

610 Peccatum secundum Augustinum est dictum uel factum uel concupitum contra legem dei. Item peccatum est uoluntas retinendi uel consequendi quod iusticia uetat. Peccatorum aliud est originale, aliud actuale. Originale est quod ex peccato primo-

rum parentum contraximus. Cuius origo et introductio talis est. Anima primi hominis plenum habens dominium super carnem sibi ex condicione et ordinacione creatoris omnino obedientem stetit in rectitudine iusticie deo obediens et omnia inferiora regens.

Per [B 53 r b] superbiam autem inobediens facta suo superiori, inobedientiam et rebellionem incurrit sui inferioris scilicet carnis, maxime in generatiua et membris propagacionis et infixa est corruptio concupiscencie naturaliter in uiribus sensitivis in carne ex qua relicta est feditas siue fomes in carne prolis concupiscentialiter procreate. Et sic in primo peccato persona corrupit naturam non autem e contra natura personam. Feditas autem in carne causat concupiscenciam in uirtutibus sensitivis et ad modum concupiscencie mouetur racio et trahitur a sua rectitudine sicut radius solis contiguatus aqua mouetur ad modum aque. Unde peccatum originale sic describitur: Originalis culpa est necessitas [U 168 v] concupiscendi cum debito non concupiscendi. Concupiscencia in uiribus habet se per [B 53 v] modum conuersionis et materie et carencie iusticie. In ratione habet se per modum auersionis et forme. Propter quod huic peccato competit hec definitio peccati mortalis scilicet quod peccatum est auersio a bono incommutabili et ad bonum commutabile conuersio.

Ex iam dictis nota, quis primus motus sit peccatum et quis non. Concupiscencia tanta a fomite feraens in uiribus sensitivis mouet et trahit rationem a sua rectitudine ex necessitate. Ille motus siue tractus dicitur motus primo primus et non est peccatum actuale sed occasio ulterioris motus quo trahitur racio ultra illam necessitatem, et ille motus dicitur secundo primus et est peccatum. Secundum quod racio plus uel minus trahitur ex delectacione, in tantum est peccatum maius uel minus et ideo dicitur Iacob I: "Unusquisque tentatur a concu[B 53 v b]piscencia sua" que scilicet militat in membris nostris id est in uiribus potencie sensitivae "abstractus" et quadam necessitate ut dictum est, et "illectus" propria uoluntate. "Deinde concupiscencia cum conceperit per consensum generat peccatum mortale", si est ad aliquam talem dilectionem que est contra aliquod preceptorum dei. "Peccatum autem cum consummatum fuerit" per actum "generat mortem" eternam. In remedium originalis peccati institutus est baptismus spiritualiter, licet etiam ualeat ad aliorum peccatorum ablucionem et quia gratia baptismi est contra peccatum quod est in ratione et etiam beneficium persone, tollit peccatum originale quoad carenciam iusticie delens maculam reatus et sequelas et prenunciat uitam glorie. Concupiscenciam autem et fomitem quia hec insunt carni [B 54 r] non tollit sed minuit et mitigat nec omnino tollit sequelas que sunt fames siti et similia. Unde patet quare non deleantur pene, quas incurrimus per peccatum, quando deletur peccatum per baptismum et quomodo peccatum originale inest proli procreacione a baptizatis et sanctis. Querit enim hereticus cum parentes sint baptizati et sancti, per quas rimas peccatum originale intret ad prolem.

14 <Tractatus duodecimus – De quibusdam peccatis in speciali>

Peccatum actualium aliud est ueniale, aliud mortale. Peccatum ueniale est minor amor dei sine auersione. Peccatum autem hoc fit cum quis propter occupacionem rei publice uel familiaris necessitate fit remissior in amore dei ad tempus. Et est huiusmodi [B 54 r b] peccatum maius uel minus secundum maiorem et minorem animi distractionem et conuersionem ad bona temporalia. Unde hec peccata uenialia comparantur feno, stipulis et lignis. Delentur uero hec peccata aspersione aque benedicte, oracione, maiorum benedictione, eleemosynarum elargacione, communi confessione et similibus [U 169] et sunt hec peccata sicut gutte aque que asperguntur super ignem qui ex hoc ad modicum respicit et postea magis propter hoc exardescit.

Peccatum actuale mortale est auersio a bono incommutabili et ad bonum commutabile conuersio. Peccatorum autem mortalium aliud est cordis, aliud oris, aliud operis. Item aliud occultum, aliud apertum [B 54 v], aliud in consuetudinem ductum, que signantur per tres mortuos quos saluator noster dignatus est per seipsum suscitare a morte et notantur his uersibus:

Mors mala, mors intus, malus actus, mors foris, usus.

Tumba, puella, puer Lazarus ista notant.

Hanc uerbo, hunc uoce, lacrimando suscitat illum.

Item nota quod peccatum habet inicium unum, radicem duplificem, fomitem triplicem et capita septem. Inicium cogitacio prava, duplex radix est amor male inflamans et timor male humilians, unde dicit glossa super illud psalmi: "Incensa igni et suffossa". Triple fomentum est libido carnaliter delectandi, habendi et dominandi secundum illud Ioannis [B 54 v b]: "omne quod est in mundo aut est concupiscencia aut concupiscencia oculorum aut superbia uite". Septem capita sunt septem capitalia uicia que his uersibus continentur:

Luxus, gustus, auet, tristis, furit, inuidet, ambit.

uel sic:

Monstrat s-a-l-i-g-i-a que sunt peccata nocua.

Superbia secundum Augustinum est amor proprie excellencie. Aliter sic definitur: Superbia est uiciosa elacio que inferiorem despiciens superioribus et paribus satagit dominari. Ex ipsa oriuntur contemptus preceptorum dei et prelatorum, iactancia, hypocrisis, ignorancia, impudencia, ostentacio, inflacio et similia.

Inuidia est odium felicitatis alienae secundum Augustinum. Item secundum Damascenum: "Inuidia est tristitia in alienis bonis". De qua oriuntur odium, susurracio, detractacio, emulacio [B 55 r] in malum proximum, afflictio in bonis eiusdem.

Ira secundum Augustinum est libido ulciscendi uel nocendi. De qua oriuntur rixa, tumor mentis, contumelie, clamor, indignacio, blasphemie.

Acedia est animi torpor bona incohare negligens uel a bonis inceptis resilire faciens. De qua oriuntur pusillanimitas, uagacio mentis circa illicita, malicia, desperacio.

Auaricia est libido habendi et retinendi pecuniam secundum Augustinum, uel auaricia est sciencie siue quarumlibet rerum insaciabilis [U 169 v] et inhonesta cupido de qua oriuntur deceptio, fraus, fallacia, periurium, furtum [B 55 r b].

Gula est immoderatus appetitus edendi uel bibendi, uel gula est illecebrosus et audius ciborum uel potuum appetitus causa solius corporis. De qua oriuntur inepta leticia, scurrilitas, immundicia, hebetudo sensus circa intelligibilia.

Luxuria est incontinencia corporis ex pruritu carnis originem trahens. Unde oriuntur cecitas mentis, inconsideracio, inconstancia, odium diuinorum, amor sui, dilectio seculi et similia. Quinque autem prima sunt spiritualia, duo ultima carnalia que quia maioris infamie sunt quam spiritualia maiora illis computantur.

Item aliter dicitur quod peccatum aliud est in deum et dicitur impietas, aliud in proximum et dicitur facinus, aliud [B 55 v] in seipsum et dicitur flagitium. Et hec tria in omnes species peccatorum et modos ramificantur. Peccatum concipitur per suggestionem in cogitatione, formatur delectacione, uiuificatur consensu, nascitur in opere, roboratur siue radificatur consuetudine. Item peccatum aliud dicitur fieri ex infirmitate siue ex resistendi impotencia et dicitur fieri in patrem, cui attribuitur potentia, aliud ex ignorancia et dicitur fieri in filium, cui attribuitur sapiencia, aliud ex peruersa uoluntate siue ex malicia et dicitur fieri in spiritum sanctum, cui attribuitur clemencia siue bonitas. Et hoc tertium membrum scilicet peccatum in spiritum sanctum sex habet species que sunt impugnacio ueritatis agnite, inuidencia superne gracie, presumptio, obstinacio, desperacio, fi[B 55 v b]nalis impenitencia.

Blasphemia est uerbum in contumeliam creatoris prolatum uel sic: blasphemia est contumelie uel conuicciu iniuriam creatoris irrogacio. Unde patet quod blasphemia importat derogacionem excellentissimi. Hoc autem uidetur posse fieri tripliciter scilicet uel attribuendo deo quod ei non conuenit, uel remouendo ab eo quod ei conuenit, uel attribuendo creature quod est proprium dei. Et hec distinctio habet ueritatem si ex deliberacione fiant in iniuriam creatoris et secundum hoc blasphemia est maximum peccatum. Unde glossa super Isaiam: "Omne peccatum blasphemie comparatum leuius est".

Heresis est alicuius quod est contra ali[B 56 r] quem articulum fidei comprehensum pertinax assertio. Dicitur autem hereticus qui falsam de fide opinionem gignit uel

692 Ira] U : Ipsa Walz

sequitur ut heresiarche quales fuerunt Arius, Sabellius et similes uel qui talem opinionem sequuntur ut eorum discipuli [U 170]. Heretici puniuntur quadrupliciter scilicet excommunicacione, deposicione, rerum omnium spoliacione et militari persecucione. Omnes autem heretici proprie dicti sunt excommunicati ipso iure.

Schisma dicitur illicita diuisio eorum inter quos unitas esse debet, uel sic: schisma est illicitus ab unitate uel uniuersitate decessus. Dicitur autem schisma a scissura que per schismat^{<icos>} fit ab unitate uel uniuersitate scissura ut [B 56 r b] XXIII questione I, "Schisma ... ". Differt autem schisma ab heresi quia heresis in principio sui habet peruersam doctrinam, quod non habet schisma sed in fine fingit aliquam heresim ut recte uideatur ab ecclesia recessisse.

[B 58 v b] Magice artis primus inuentor dicitur fuisse Zoroastres rex Bractianorum. Augmentatores Democritus et plures alii postea aliqua addiderunt. Huius artis quinque sunt genera scilicet mancie, mathematica uana, sortilegia, maleficia, prestigia. Prima quinque habet species scilicet necro[B 59 r]manciam, geomanciam, hydro-manciam, aeromanciam, pyromanciam. Prima fit in sanguine, secunda in terra, tercia in aqua, quarta in aere, quinta in igne. Mathematica uana tres habet species scilicet haruspicium, augurium uel auspicium, horoscopiam. Unde magice artes in uniuerso sunt undecim. De quibus habetur causa XXVI, questione II, III, IV, V. Haruspicium est in aris et extis et fibris animalium que immolantur in aris. Augurium est in garritu auium, auspicium in aspectu uel uolatu auium. Horoscopia in constellacionibus. Unde geomantici et magi uocantur.

Sortilegium est electio facta per sortem. Sors autem est ars [B 59 r b] diuinandi. Diuinacio uero semper accipitur in malo sicut prophecia in bono. Sortium autem tres sunt species scilicet diuisoria, consultoria et diuinatoria. Prima est qua queritur quid cui attinere debeat, ubi homines non bene possunt diuidendo diiudicare. Secunda scilicet consultoria, est qua inquiritur utrum hoc faciendum sit uel aliud quod eque bonum reputatur. Tercia autem scilicet diuinacio est qua inquiritur utrum hoc futurum sit uel non, et quid in futurum super hoc uel illo contingat. Prime due sunt licite de quibus intelligitur illud Proverbiorum XVI: "Sortes mittuntur sinum et a domino, etc." <et> illud Augustini: "Sors non est aliquid mali sed in humana dubietate diuinam indicans uolun[B 59 v]tatem". [U 170 v] Tercia autem sors est omnino illicita et de illa sumitur sortilegium proprie dictum. Unde etiam sortilegi dicuntur secundum Isidorum qui sub nomine ficte religionis per quasdam, quas sanctorum seu apostolorum sortes uocant, diuinacionis scienciam profitentur aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt. Causa XXVI questione I, II, III.

Mendacium secundum Augustinum est falsa uocis significacio cum intencione fallendi et distinguit Augustinus octo genera mendaciorum. Primum est uiolate religionis ut in articulis fidei, secundum est lesionis tantum, tertium lesionis cum praua utilitate alterius, quartum est libidinis, quintum est cupiditatis placendi in damno[B 57 r b] pecunie, sextum est utilitatis, septimum est utilitatis in periculo persone, octauum est utilitatis in iactura pudicitie. Quinque prima genera sunt mortalia, tria sequencia sunt

uenialia.

⁷⁷⁰ Aliter secundum Augustinum est mendacium perniciosum siue malignitatis, officiosum siue pietatis et iocosum siue leuitatis. Primum comprehendit quinque genera prima, secundum tria sequencia, tertium dictis octo generibus supra.

⁷⁷⁵ Periurium est mendacium iuramento firmatum. Committitur autem tribus modis scilicet cum aliquis iurando loquitur factum putans esse uerum sine intencione fallendi. Item cum quis [B 57 v] iurando loquitur uerum cum intencione fallendi. Primum est peccatum ueniale maxime si adhibita fuerit sufficiens diligencia. Secundum et tertium sunt mortalia. Primum periurium est indiscretionis, secundum tentacionis, tertium depcionis.

⁷⁸⁰ Adulacio est peruersa laudacio. Fit autem tripliciter aut enim adulatur quis attribuendo alicui bonum quod non habet, aut approbando mala que habet, aut nimis extollendo bonum quod habet. Duo prima dicuntur mortalia tertium uero est ueniale.

⁷⁸⁵ Detractio est peruersus conatus tendens ad [B 57 ub] alterius fame diminucionem. Et fit sex modis scilicet occulta mala proximi publicando, secundo audita augmentando, tercio falsa crimina imponendo, quarto occulta bona negando, quinto manifesta bona minuendo, sexto bona in mala conuertendo.

⁷⁹⁰ Simonia est studiosa uoluntas uel cupiditas emendi uel uendendi aliquod spirituale uel spirituali annexum. Inter crimina ecclesiastica primum locum obtinet. Unde etiam nomen heresis meretur. Simonia dicta est a Simone Mago qui uoluit emere graciā spiritus sancti pro pecunia a beato Petro apostolo. Contrahitur autem tribus speciebus scilicet munera obsequii, manus et lingue. Munus ab obsequio est seruitus indebite impensa. Munus a manu est pe[B 56 v]cunia et res alie. Munus a lingua est fauor indebite impensus. Item nota, quod quedam sunt prohibita, quia simonia ca, ut uendere uel emere dona spiritus sancti et in his contrahitur aliquando simonia sola uoluntate et intencione. Quedam autem sunt simoniaca, quia prohibita, ut [U 171] uendere uicariam uel economatum uel aduocaciam et in his simonia contrahitur sola uoluntate. Item nota, quod eleemosyna temporalis datur pro uita eterna et non committitur simonia.

⁸⁰⁰ Apostasia est temerarius recessus a statu fidei, obediencie uel religionis et dicitur apostasia quasi post uel retro stacio. Unde appareat, quod triplex est apostasia [B 56 v b] scilicet perfidie, inobedientie et irregularitatis. Perfidie quando quis recedit a fide catholica, ut Iulianus apostata. Inobedientie qua quis transgreditur spontanea uoluntate preceptum ut Adam et Eua et qui sacris canonibus obedire contemnunt, ut habetur causa III, questione IIII, "Alieni...". Irregularitatis qua quis a statu religionis assumpte recedit, de quo habetur libro 'Decretalium' capite ultimo.

⁸⁰⁵ Sacrilegium est sacre rei uiolacio uel usurpacio et dicitur quasi sacrilegium et committitur in personam ut uerberando clericum uel personam religiosam, in locum ut cum uiolatur immunitas ecclesie uel cemeterium. In rem, cum res consecrata uel sacro usui [B 57 r] deputata usurpat. Et hoc iterum membrum subdistinguitur. Aut enim fit auferendo sacrum de sacro aut sacram de non sacro. De his omnibus et pena

810 sacrilegorum habetur causa XVII, questione IIII, "Quisquis...".

Scandalum est dictum uel factum uel signum cuius occasione trahitur quis in consensum mortalis peccati et dicitur a scando grece quod est offendio latine. Unde scandalizare proximum nihil est aliud nisi offendere eum prouocando in consensum peccati mortalis occasione dicti uel facti uel cuiusque exterioris signi. Item nota quod scandalum [B 58 r] est mortale peccatum et quod non. Sic accipe ipsum factum, dictum uel signum cuius occasione alii trahuntur ad peccatum, aut est malum in se aut bonum aut indifferens. In primo casu fugiendum est et tum propter ipsum factum quod malum est, tum propter circumstanciam quia eius occasione alii trahuntur ad malum. In secundo casu aut est tale bonum quo omisso non est salus nec est dimittendum propter aliquod scandalum, alias potest aliquod bonum omitti pro uitando scandalo et similiter ea que sine peccato mortali committi non possunt non sunt propter uitandum scandalum com[B 58 r]mittenda. Specialiter autem sunt tria, que propter scandalum uitandum non sunt omittenda scilicet uita recta, doctrina sana, et in iudicio iusticia. Non est enim male uiuendum nec erronee docendum nec iniuste iudicandum propter scandalum uitandum. Unde uersus:

Scandala pro uita, doctrina, iusticiaque,
Unde non effugies, sunt in reliquis fugienda,

830 Item nota quod scandalizans etiam scandalum dicitur, unde dominus dixit Petro: "Scandalum tu mihi es". Et sacerdos tenens publice concubinam dicitur scandalum parochie.

Usura est ex mutuo lucrum, ex pacto debitum uel exactum. Vel usura est quod quidquid sorti accedit ex pacto uel intencione precedente. Unde non committitur usura nisi in contractu mutui. Dicitur autem usura quasi usus rei uel usus aeris. Usura contrahitur cum causa mutuandi principaliter respicit lucrum siue emolumentum. Si uero respicit principaliter caritatem, secundario autem aliquod emolumentum, quod gratis datur, non est usura. Item usura alia spiritualis quando datur eleemosyna parua, ut habeatur uita eterna. Alia corporalis que est duplex, quarum una dicitur fenus sortis, alia fenus [B 58 v b] fenoris uel improbum fenus et hoc facit hominem infamem et nunquam excusatur. Prior autem excusatur in aliquibus contractibus, ut dicit Raymundus in sua 'Summa' et similiter Gaufredus in sua 'Summa' communiter quando uenient ex pacto et ex mora et utraque illicita nisi aliquibus rationibus excusetur.

845 Abusio est boni usus in peruersum usum commutatio. Sunt autem duodecim abusiones claustralium scilicet prelatus negligens, discipulus inobediens, iuuenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, monachus causedicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor [B 59 v b] in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreuerencia circa altare. Item sunt duodecim abusiones secularium scilicet sapiens sine operibus, senex sine religione, adulescens sine obediencia, diues sine eleemosyna, femina sine pudicitia, dominus sine uirtute, christianus contentiosus, pauper superbus, rex

iniquus, episcopus negligens, plebs sine disciplina, populus sine lege.

15 <Tractatus decimus tercius – De sacramentis>

Sacramentum est sacre rei signum. Hec descriptio conuenit sacramentis tam ue-
teris legis quam noue. Signum autem est, quod preter speciem quam ingerit sensibus
855 facit aliquid in cogitationem uenire.

Instituta fuerunt sacraenta propter humilitacionem, erudicionem et exercitacio-
nem. Propter humiliacionem ut homo, qui se erigendo per superbiam inobediens fuit
deo diligendo creaturam supra deum siue eius preceptum, humiliando se ex precepto
dei salutem a deo per inferiora se scilicet elementa quereret. Item propter erudicionem
860 ut homo per uisibilem exteriorem operacionem intelligeret uirtutem diuinam inuisibili-
lem interius operantem. Item propter exercitacionem ut scilicet homo uitet periculum
otiositatis que multa mala docet et magis exerceat se in talibus salubribus quam aliis
sibi nocuiis. Differunt autem [B 60 r b] sacramenta ueteris legis que fuerunt oblacio-
nes et hostie et noue legis in eo quod quam illa figurabant et promittebant ista exhib-
865 ent salutem. Item sacramenta noue legis sunt rememoratiua [U 172] et denunciatiua
et prenunciatiua. Rememoratiua causa salutis scilicet passionis Christi, denunciatiua
gracie quam continent, et prenunciatiua glorie et uite eterne. Sacraenta uero ueteris
legis tantum fuerunt prenunciatiua trium predictorum excepta circumcisione que fuit
prenunciatiua primi et ultimi et denunciatiua medii scilicet gracie. Quam circumcisio-
870 nem decuit institui propter expressiorem significacionem curacionis originalis peccati
respectu precedencium [B 59 v] remediorum.

Sacraenta noue legis sic describuntur secundum Augustinum: "Sacramentum
est inuisibilis gracie uisibilis forma eius similitudinem gerens et causa exsistens". Con-
sistunt autem sacramenta noue legis in rebus siue operibus sensibilibus et uerbis. Et
875 hoc decuit quia in auctore salutis fuit et est res sensibilis humanitatis et uerbum deita-
tis. Sunt uero sacramenta noue legis numero septem scilicet baptismus, confirmacio,
eucharistia, penitencia, extrema unctionio, ordo et matrimonium, que comprehenduntur
hoc uersu:

880 Abluo, firmo, cibo, dolet, ungitur, ordino, iungo.

Per primum intratur in aulam regis Christi scilicet ecclesiam et fit homagium Chri-
sto [B 60 v b] et conscribitur in eius exercitu. Per secundum armaturam accipit, per
tercium cibatur, per quartum uulneratus sanatur, per ordinem principes et duces celis
885 constituuntur, per extremam unctionem emeriti ad quietem mittuntur. Per matrimo-
nium noui ad miliciam requiruntur.

Tria de ipsis, scilicet baptismus, confirmacio et ordo non iterantur, quia in illis
character anime imprimitur. Est autem character signum spirituale indelebile ui sa-

cramenti anime impressum quo fideles ab infidelibus distinguuntur.

890 Ad uirtutes autem hunc habent ordinem quod baptismus dicitur specialiter sacramentum fidei, extrema unctionis spei, eucharistia caritatis, confirmatio fortitudinis, penitencia iusticie, ordo prudencie, [B 61 r] matrimonium temperancie. Circa uicia ordinantur sic: Baptismus est contra superbiam, eucharistia contra inuidiam, extrema unctionis contra iram, confirmatio contra acediam, ordo contra auariciam, penitencia contra gulam, matrimonium contra luxuriam.

Ad quodlibet sacramentum noue legis quod solemniter exhibetur quattuor exiguntur scilicet debita materia, debita forma uerborum, minister et intentio.

Baptismus est ianua omnium sacramentorum et summe necessarius. Nullum enim sacramentum rite datur ante baptismum. Baptismus est triplex scilicet fluminis flaminis et san[B 61 r b]guinis. Primus est sacramentum, duo residui non. Dicuntur tamen baptismi quia eundem effectum habent quantum ad delectionem culpe et pene. Primus sic describitur. Baptismus est tinctio in aqua uerbo uite sanctificata, uel baptismus est ablutio corporalis sub forma uerborum prescripta. Huius sacramenti materia est aqua nec potest fieri baptismus nisi in aqua qui liquor est omnibus communis nec minor aqua sufficit [U 172 v] quam qua caput potest perfundi. Forma uerborum hec est: "Ego baptizo te in nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen". Sed hoc pronomen 'ego' non est de forma nec 'Amen'. Huius facti duplex est effectus siue res, scilicet interior [B 61 v] a peccatis et specialiter ab originali peccato mundacio et characteris impressio.

910 Confirmatio est chrismatis inunctio per manum pontificis in robur spirituale collata sub forma uerborum prescripta. Materia huius sacramenti est chrisma quod conficitur ex oleo oliuarum et balsamo per consecrationem et sanctificationem pontificis. Ex oleo oliue propter nitorem conscientie et pinguedinem misericordie, et balsamo propter odorem bone fame. Forma uerborum consecrationis hec est: "Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine, et cetera. Amen". Dispensator huius sacramenti est solus pontifex, effectus plenitudo gracie date et ad audaciam profitendi Christum et characteris impressio. Et decens est ut confirmandus offeratur iejunus iejuno et non a seipso offeratur sed ab alio et caput seruet a locione septem diebus.

Sacmentum eucharistie est corporis et sanguinis Christi sub forma rerum uisibilium per mysterium ad hoc constitutum fidelibus facta collatio. Huiusmodi sacramenti materia est panis de frumento sine fermento et uinum non in acetum corruptum sed uinum aqua mixtum. Forma uerborum hec est: "Hoc est corpus meum et hic est calix sanguinis mei noui et eterni testamenti mys[B 62 r]terium fidei qui pro uobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum". Hoc instituit Iesus Christus in cena a suis recessurus et est sacramentum suauissime communionis quo Christo unimur et suis. Species uini et panis sunt sacramentum exterius signans corpus Christi uerum et sanguinem. Et ipsum corpus Christi uerum signat corpus Christi mysticum id est

901 eundem] U : eundum Walz

coniunctionem capitum et membrorum omnium. Hoc sacramentum indigne scilicet cum conscientia mortalis peccati accipiens peccat mortaliter. Huius dispensator est solus sacerdos nec debet sumi nisi a iejunis nisi in necessitate. Hoc sacramentum est sacramentum sacramentorum.

Dicuntur autem [B 62 r b] sacramenta sibi inuicem quedam maiora esse et quedam minora diuersis rationibus que tanguntur his uersibus:

935 Maior in effectu baptismus, corpus in esse,
Coniugium signo, maiori chrisma ministro.

Sumitur autem corpus Christi et sanguis non sub propriis speciebus uel formis sed alienis triplici ratione que tanguntur his uersibus:

940 Sumitur occulte Christus ne sit tibi stulte
Horror uel risus, sit quia lucrosa fides.

In sacramento debet aqua que signat populum ponit in calice sed ita parua ut a uino
945 [U 173] possit absumi.

Penitencia est mala preterita plangere et plangenda iterum non committere, id est nolle iterum committere. Et dicitur [B 62 v] penitencia quasi pena tenax quia est semper in hac uita tenenda. Cuius actiones sunt tres. Prima que fit ante baptismum quasi preparacio. Secunda post baptismum scilicet de uenialibus. Tercia de mortalibus.
950 Item tres sunt eius species scilicet solemnis, publica et priuata. Item tres sunt eius partes scilicet contritio, confessio, satisfactio. Contritio est dolor uoluntarius semper in se puniens, quod dolet admisisse. Confessio est legitima coram sacerdote peccatorum declaracio. Satisfactio est causas peccatorum excidere et eorum suggestionibus aditum non indulgere.

955 Confessio et satisfactio sunt signa tantum. Contritio [B 62 v b] res est respectu predictorum et signum respectu remissionis peccatorum, que est res tantum et non signum. Forma uerborum hec est: "Absoluo te auctoritate dei et matris ecclesie a peccatis de quibus es uere contritus et confessus". Quanta autem et qualis contritio sufficit et qualis debet esse confessio et satisfactio nota in 'Breuiario'. Regulariter confitens
960 debet diligenter totam uitam suam discutere super quolibet peccato et super omnibus dolere, omnia perfecte et plane siue nude confiteri, quod sibi iniungitur libens suscipere et satisfacere carnem castigando, eleemosynas largiendo et orando. Unde uersus:

[B 63 r] Discute, contere, dicito, sustine, da, pete, stringe.

965

944 aqua] U :<uino misceri> aqua Walz

Minister huius sacramenti est solus sacerdos. Debet etiam confitens querere confessorem scientem et auctoritatem habentem alias de facili decipitur.

Utrum autem debeant fieri interrogaciones et qualiter et cuiusmodi penitencie debent iniungi et qualiter penitencie sunt arbitrarie et qualiter non, require in 'Breuiario' et in 'Summa' Raymundi.

Ne tamen sub silentio transeat, nota quod secundum canonem et dicta sanctorum regulariter pro omni peccato mortali per opus exterius consummato septennis penitencia iniungenda est et tantum magis et minus a supra<dicta> est imponenda secundum maioritatem et minoritatem criminis et circumstancias personarum, temporis et loci. Annualis penitencia dicitur ieunium trium hebdomadarum ante natale et trium ante festum beati Ioannis Baptiste et trium ante festum beati Michaelis necnon et trium feriarum legitimarum in qualibet septimana scilicet diei Lune [U 173 v], Mercurii et Veneris, quattuor temporum et uigiliarum apostolorum Petri et Pauli, Bartholomei, Matthei, Simonis et Iude, Andree et Thome et Mathie. Sacerdos si fornicatus peniteat decem annis secundum formam tradicionalem in 'Decreto' d. LXXXII. Si cum filia spirituali peccauerat peniteat duodecim annis, si episcopus fornicatur peniteat quindecim annis. Sodomiticum omne peccatum carnale concupiscentie excedit. Nota uero quod imponitur penitencia triennalis communiter pro simplici fornicacione, aliquando non nisi duodecim dies in pane et aqua in anno secundum discreti sacerdotis iudicium. Unde patet quod penitencie sunt arbitrarie secundum illud Leonis pape: "Tempora penitutinis habita moderatione constituenda sunt tuo iudicio prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos". Item octaua synodus: "Hoc sit positum iudicium eorum qui presunt quanto tempore uel quolibet a modo penitere debeat qui deliquit".

Illi qui contriti et confessi de hac uita decesserunt et non perfecerunt penitenciam sibi debitam satisfaciendo, in purgatorio id est in locis penalibus a deo ad hoc institutis oportet eos satisfaciendo puniri, quos iuuant ecclesie suffragia et specialiter [B 63 r b] quattuor secundum Gregorium scilicet peregrinacio, eleemosynarum largitio, deuota oracio et sacra altaris oblacio. Et nota quod quinque sunt loca animarum extutarum usque ad iudicium scilicet celum empyreum, limbus patrum, sinus puerorum non baptizatorum, purgatorium, de quo dictum est, et puteus inferni.

In primo est eterna felicitas. In secundo fuit damni temporalis penalitas et non sensus. In tercio damni et non sensus pene perpetuitas. In quarto cruciacio et pene damni et sensus temporalis acerbitas. In quinto pene damni et sensus acerbissime eterna infelicitas. Et nota quod tria loca scilicet limbus patrum, sinus puerorum, et purgatorium [B 63 v] sunt quidam sinus inferni. Unde quilibet locorum istorum dicitur infernus et omnia loca ista simul cum abyso inferni dicuntur inferus.

Extrema unctio est linitio olei sanctificati facta ad reueacionem infirmitatis mentis et corporis. Item sic describitur: extrema unctio est sacramentum ex unctione infirmis per oleum sanctificatum factum ad conferendum remedium contra reliquias peccati et infirmitatem corporalem. Materia huius sacramenti est oleum simplex ab epi-

scopo benedictum sine alterius rei admixcione. Forma autem huius sacramenti consistit in opere scilicet consignacione membrorum in forma crucis et in prolacione horum [B 63 v b] uerborum: "Per istam sanctissimam unctionem et suam piissimam misericordiam dimittat tibi deus quidquid peccasti per uisum", et sic de aliis membris, que debent inungi. Minister autem huius sacramenti est solus sacerdos. Nec hoc potest oleum consecrare uel benedicere ullus nisi solus episcopus. Effectus huius sacramenti est sanacio corporis magis autem [U 174] mentis que in duobus consistit scilicet peccatorum remissione et uirtutum ampliacione. Res huius sacramenti est gracia spiritus sancti efficiens sanitatem mentis et quandoque corporis quando scilicet expediens fuerit. Membra inungenda sunt aures, nares, oculi, manus et pedes. Quidam etiam inungunt [B 64 r] pectus et renes siue umbilicum.

Ordo est per quem datur auctoritas ad ministeria altaris specialiter exercenda et differt hoc sacramentum ab aliis sacramentis quia in hoc sacramento datur aliquid a dispensatore suscipienti sacramentum scilicet auctoritas quod digne possit ministrare. Item in forma, quia forma huius sacramenti datur tantum per modum imperatiuum ut talis ordinandus procedat, et 'accipe' hoc uel illud, et sic 'fac' uel sic etc. Sunt autem septem ordines secundum numerum septiformis gracie diuine, quam qui non habet ad ordines accedere non potest, et distinguuntur secundum gradus.

Quorum primus ostiariorum [B 64r b], secundus lectorum, tertius exorcistarum, quartus acolythorum siue ceroferariorum, quintus subdiaconorum, sextus diaconorum, septimus presbyterorum. Horum omnia officia Christus in se exhibuit ut ostendit magister in quarto libro 'Sentenciarum', distinctione XXVI. Minister huius sacramenti est solus episcopus. Episcopi et abbates magis dicuntur proprie benedicti uel consecrati quam ordinati, quia non ascendunt ad altiore gradum respectu summi sacramenti scilicet corporis Christi ad quod et propter ordines et eorum gradus sunt specialiter instituti. Et nota quod sacerdos duo habet officia, unum principale scilicet confidere corpus Christi et sanguinem, alterum secundarium [B 64 v] scilicet populum preparare ad digne suscipiendum. Ad primum officium pertinet quod quis preparet hostiam, uinum et aquam et ad altare afferat et quod allata sacerdoti offerat et cum eo disponat. Ad primum ordinatur subdiaconus, ad secundum diaconus. Item ad officium sacerdotis exigitur quod indigni excludantur et digni intromittantur. Intromissi amplius expurgantur, expurgati instruantur de lege uetere et illuminentur ad nouam.

Primum spectat ad ostiarios, secundum ad exorcistas, tertium ad lectores, quartum ad acolythos. Item in officio misse introitus spectat ad ostiarios. Kyrie eleison ad exorcistas [B 64 ub], oracio ad sacerdotes, prophecy ad lectores, luminarum ministracio ad acolythum, epistula ad subdiaconum, et cetera ad chorom. Gradus et alleluia etc. ad chorom, euangelium ad diaconum, offertorium ad omnes, reliqua omnia principaliter ad sacerdotem.

¹⁰³⁴ suscipiendum] suscipiendum <corpus domini> Walz

1045 Matrimonium est uiri et mulieris coniunctio maritalis inter personas legitimas indiuiduam uite consuetudinem retinens. Hoc sacramentum institutum fuit primo [U 174 v] in paradiso ad officium, secundo scilicet post peccatum in remedium. Huius sacramenti signatum est coniunctio Christi et ecclesie secundum duplēcēm uinculum caritatis, gracie et nature. Cuius signum siue sacramentum est consensus animorum qui est [B 65 r] efficiens causa matrimonii et coniunctio sexus. Sunt autem tria bona matrimonii scilicet fides, proles et sacramentum id est indiuisibilitas.

1050 Sunt autem impedimenta que matrimonium contrahendum dirimunt et tanguntur his uersibus:

1055 Error, condicio, uotum, cognacio, crimen,
Cultus disparitas, uis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibus.
Hec socianda uetant connubia, iuncta retractant.

1060 Error persone est cum mulier habet noticiam alicuius persone uel per uisum uel famam et credit illam esse presentem et consentit [B 65 r b] et non est ille quem putauit, tunc non consentit in presentem sed in illum, quem putat istum esse et tunc uere est error persone. Si uero nullam habet noticiam persone quam iste fingit se esse uel putat hunc nobilem et non est, uel diuitem et non est, non est error persone sed est uel
1065 pura ignorancia uel error qualitatis uel forme.

Condicio est si liber contrahit cum ancilla sciens eam ancillam et e conuerso tenet matrimonium si uero contrahit cum ancilla credens eam liberam et e conuerso nullum est matrimonium.

1070 Votum castitatis solemne impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum. Votum castitatis simplex impedit sed non dirimit contractum.

Cognacio triplex est scilicet carnalis, spiritualis et legalis. Prima impedit ex omni parte usque ad quartum gradum inclusiue et dirimit contractum.

1075 Consanguinitas est uinculum personarum ab eodem stipite descendencium carna- li propagacione contractum. Linea est ordinata collectio personarum consanguinitate coniunctarum ab eodem stipite descendencium diuersos gradus continens. Gradus autem sunt tres, scilicet ascendencium ut a filio ad patrem et auum. Alius descendencium ut a patre ad filium etc. Tertius transuersalium siue collateralium ut frater et filius fratris et nepos etc. Gradus est habitudo distantium personarum, qua cognoscitur, quanta generacionis distancia due persone inter se differant.

1080 Cognacio spiritualis est propinquitas proueniens ex [B 65 v b] sacri dacione uel ad id tenente. Huius species sunt quattuor, scilicet compaternitas, commaternitas, fraternitas, et filiatio, uerbi gracia in baptismo inter baptizantem et patrem baptizati est compaternitas, similiter inter patrem pueri et suscipientem [U 175], unde uersus:

1085 Compatrem semper pater, alter spiritualis,

Alter carnalis, non fallit regula talis.

Commateritas est inter matrem pueri et baptizantem et suscipientes et coniuges suscipiencium. Filiacio autem inter baptizantem et puerum et filium, inter suscipientes et puerum et inter coniuges suscipiencium et puerum. Fraternitas autem inter puerum et filios et filias baptizantis et suscipiendum [B 66 r]. Inter baptizantem autem et suscipientes et inter ipsos suscipientes non contrahitur aliqua cognacio spiritualis. De cognacione legali, quia apud nos locum non habet nihil pono sed qui de ea scire uoluerit requirat in 'Summa' Raymundi.

¹⁰⁹⁵ Crimen. Licet multa sint crimina que impediunt matrimonium contrahendum, nullum tamen dirimit contractum nisi adulterantes machinantur uel alter eorum in mortem alterius coniugis uel coniugum cum effectu uel qui fidem dederint de contrahendo uel nisi contraxerint de facto aliis coniugibus uiuentibus.

¹¹⁰⁰ Cultus disparitas. Non potest christianus ducere paganam uel iudeam in uxorem nec e conuerso pa[B 66 r b]ganus christianam uel iudeus, quod si factum fuerit nullum matrimonium de quo nota plura in 'Summa Raymundi'.

¹¹⁰⁵ Violencia uel uis. Vis est maioris rei impetus qui repelli non potest. Quamdiu durat non est matrimonium uel etiam si fuerit metus, qui potest cadere in uirum constantem ut metus mortis, corporis grauis cruciatus, stupri uel seruitutis. Metus est instantis uel futuri periculi mentis trepidacio. Nota quattuor metus, qui excusantur his uersibus:

Excusare metus hos puta posse: nefas
Stupri seu status, uerberis atque necis.

¹¹¹⁰ Ordo sacer ut subdiaconus et superiores impediunt matrimo[B 66 v]nium contrahendum et dirimunt contractum.

Ligamen. Si unus ligatus est alteri per uerba de presenti, si se ligauerit cum altera, et si filios procreauerit, primum dirimit secundum.

¹¹¹⁵ Publice honestatis. Iusticia impedit et fere secundum omnes dirimit et est talis, cum quis contrahit sponsalia cum aliqua septem annos habente, si ipse decesserit uel alio modo impeditur ut per ingressum religionis uel similiter, nullus consanguineorum suorum potest cum illa contrahere. Si uero infra septem annos, non impeditur matrimonium, non enim reputantur sponsalia, que contrahuntur ante septennium.

¹¹²⁰ Affinitas est propinquitas personarum ex car[B 66 v b]nali copula ueniens omni carentis parentela. Et nota quod omnes cognati uel consanguinei uiri usque ad quartum gradum attinentur uxori et e conuerso secundum numerum eorundem graduum sed non secundum genus attinencie, quia hic est propinquitas affinitatis, illic consanguinitatis. Unde datur talis regula, quod persona addita persone per carnis propagationem, mutat gradum et non genus attinencie [U 175 v]. Addita autem per carnis copulam

¹¹²⁵ mutat genus et non gradum, unde uersus:

Mutat nupta genus sed generata gradum.

¹¹³⁰ Si forte coire nequibus. Item impotencia coeundi, si est perpetua ut est frigiditas uel [B 67 r] quecumque alia causa, si fuit ante matrimonium contractum, impedit et dirimit. Si post ut sectio uel maleficium non dirimit.

Item nota duos uersus de casibus impedientibus et non dirimentibus:

Ecclesie uetitum necnon tempus feriatum.

¹¹³⁵ Hec prohibent fieri, permittunt facta teneri.

16 <Tractatus decimus quartus – De distinctione temporum>

Nunc de distinctione temporum et antichristo aliquid est dicendum. Tempus huius uite distinguitur in tempus innocencie siue diuine consolacionis, item in tempus deuacionis, renouacionis, reconciliacionis, conuersionis et ultime retribu[B 66 r b]cionis. Primum fluxit a mundi creacione usque ad peccatum hominis. Secundum ab hominis peccato usque ad legis dacionem. Tercium a legis dacione usque ad filii dei incarnationem. Quartum ab incarnacione Christi usque ad spiritus sancti missionem. Quintum ab hinc usque ad mundi renouacionem. Et hoc ultimum tempus distinguitur in tempus plantacionis ecclesie, confortacionis, stimulacionis, strictissime examinacionis siue grauissime persecucionis. Primum fluxit sub persecuzione et martyrizacione apostolorum et martyrum. Secundum ab [B 67 v] ecclesie catholice consolidacione per doctrinam sanctorum doctorum Augustini, Ambrosii, Isidori et aliorum contra hereticorum impugnacionem. Tercium nunc fluit sub falsorum fratrum occulta et maligna machinacione. Quartum erit sub antichristi et suorum grauissima persecuzione fidelium et expugnacione. Tanta enim erit illa persecutio ut saluator noster predixit quanta non fuit ab initio mundi nec postea futura est et nisi deus abbreviasset dies illos non salua fieret omnis caro. Antichristi namque secundum apostolum, Thess. c. I, aduentus est secundum operacionem sathane in omni uirtute, signis et prodigiis mendacibus et in omni [B 67 v b] seductione iniquitatis. Omnes enim persecutiones trium temporum precedencium in ista concurrunt et uehementiori et fortiori modo.

17 <Tractatus decimus quintus> – De <antichristo et> ultimo iudicio

Secundum traditionem doctorum specialiter super Danielem et apocalypsim antichristus in magna Babylonia nascetur ex meretrice generis Dan. In matris utero replebitur spiritu diabolico, in corozaim nutritur a maleficis, faciet se circumcidere, iudeos congregabit, mirabilem sibi scienciam inesse ostendet et quedam miracula que sui miracula esse affirmant faciet. Omnes thesauri occulti sibi [U 176] per diabolum reuelantur, munera dabit abundanter [B 68 r], messiam se predicari faciet in Ierusalem, cum iudeis transiet et ipsam et templum reedificabit in quo sibi solium regale constituet et predicatores suos et legatos per orbem transmittet et specialiter ad decem reges qui tunc temporis maiores estimantur. Tribus autem regibus scilicet Egypti, Africe et Ethiopie sibi obstantibus deuictis et contritis alii septem eius imperio colla submittent. Sabbatum festiuat ut iudeos sibi attrahat, et dominicam ut attrahat christianos. Quattuor modis orbem terre sibi subiugabit reges princi[B 68 r b]pes et nobiles diuiciis et honoribus, clericos et mundi sapientes omnium artium astucia et mirabili eloquencia, prelatos ecclesiarum et religiosos miraculis, mendaciis et prestigiis, uulgas penis, minis et terroribus. Et nihilominus his quattuor modis scilicet munera et bonorum largacione, astuta suasione, mirabilium operacione et tormentorum cruciacione cuiuslibet generi hominum infestus erit. Secundum hos quattuor modos quattuor nomina ei attribuuntur, tria in greco, scilicet ‘teitan’, ‘antemos’, ‘arnoume’, in latino ‘dclux’ quorum quodlibet secundum litteras in eis positas signare dat DCLXVI, ut [B 68 v] notatur Apocalypsi cap. XIII.

Et per hunc triplicem senarium qui numerus perfectus est, uult sibi attribui triplicem perfectionem, scilicet nature, gracie et glorie. Omnem perfectionem fructuum facit sibi offerri trigesimum, sexagesimum et centesimum, facit se adorari ut deum, tribus diebus se finget mortuum et tunc uiuum et in montem ubi Christus ascendit figet tabernaculum quasi inde pro sua voluntate ascensurus et descensurus et ibi audiet uocem a terribilem et statim miser moritur et postea dantur a deo quadraginta dies ad penitenciam et iudei conuertentur, sed quo die uel qua hora fiet iudicium a cunctis uiuentibus ignoratur.

Horum que [B 68 v b] spectant ad ultimum iudicium, quedam sunt precedencia ut signorum terribilium ostensio, mundi conflagratio, tube uociferacio, mortuorum resurrectio. Quedam sunt complectencia ut quattuor ordinum dispositio, disceptacio et finalis sentencie promulgacio. Quedam sunt subsequencia ut pena infernalis et gloria celestis. In pena infernali erit penarum uarietas, in uarietate acerbitas, in acerbitate infinitiblitas. In gloria celesti est premium substancialie quod consistit in uisione, fruicione et [U 176 v] tencione. Et hec dicuntur prima stola et tres dotes anime. Item substancialie quod consistit in quattuor dotibus [B 59 r] corporis, scilicet claritate, subtilitate, agilitate et impassibilitate, unde uersus:

1195

Clarus, subtilis, agilis, non passibilisque,
Aspiciensque tenens fruitur te quisque beatus.

Item accidentale quod est triplex aureola que debetur martyribus, doctoribus et
1200 uirginibus, unde uersus:

Aureola martyr <doctor> uirgoque refulget.

Et in his autem omnibus sumitur gradus secundum exigenciam meritorum.

1205

Explicit Rotulus Augustini.